





1694.

1. Barkhus, Gottlieb : De magistro navis.
2. Bahn, Johannes, Fr. med. pro cancellario f. s. l.  
(et pauciorum disputationum Christiani Gouffredi  
Ringos non fat).
3. Brusius, Christianus : De iure reipublicae circa  
excursiones maritimes in terram alienam tempore  
belli institutas.
4. Horning, Joh. Jacob : De ruricordi.
5. Hettnerus, Fridericus Theophilus : Remensis Mapp-  
iae et simul de cypria Lippiana in biblioteca  
Institutionis Magistri Senatoris.
6. Meister, Johannes Gottlieb : De cypriis insulis.
7. Monckernus, Dr. Burkhardt : De Augstorum Augustarumque  
conservacione ex numeris.
8. Monckernus, Liderus : De salario tutoris et cura  
filiis. 2 Sept. 1694 - 1738.

1694.

9. Mercklinus, Ludovicus : De testamento factoriis damnatis  
et mortuis jure civili. Venerata et morsibus ploransque exorta

10. Reckenburg, L. Adams : De regimento S. R. imperii

11. Reckenburg, L. Adams : De jas regnandi gratia  
nostrorum domum?


12. Schenckberg, Joh. Christiannus : De paralysi scorbutica


13. = Tilius, Gottlieb Burkard : De fictione Romanorum  
natura et inconveniencia. 2 Sept. 1694: 1727

Dr GOTTFRIEDI BARTHII,

URB. LUTE. DOCT. & FRACT.

Principia ac Praxis in formam iurisperiorum





1694/12  
58.  
39  
3042  
13  
**ARCHIATRO SUMMO FAVENTE!**  
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
**PARALYSI**  
**SCORBUTICA,**

*Quam*

Indulgu & Auctoritate  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

*In*  
**ALMA PHILYREA**

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

DOMINI

**JOH. CHRISTIANI Schamberg/**  
Phil. & Med. Doctoris, Facultatis Med.

Assessoris Gravissimi,

Patroni atque Promotoris sui astutissimi,

**PRO LICENTIA**

Summos in Arte Medicâ Honores & Privilegia Doctoralia legitime  
consequendi,

Publico Philatrorum Examini

Die XV. Junii, A.C. M DC XCIV.

H. L. Q. C.

submitit

**CAROLUS FRIDERICUS Sinnermann/**  
Dresdensis.

LIPSIAE, Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

V I R O  
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERI-  
ENTISSIMO, ATQUE AMPLISSIMO,

DOMINO  
**AUGUSTO QVIRINO**  
**R I V I N O,**

Philosoph. ac Medicinae Doctori famigera-  
tissimo, Physiologiae ac Botanices Professori Publico,  
Facultatis Medicæ Assessori Gravissimo,

*Domino Patrono, Promotori ac Praeceptorī  
omni obseruantiae cultu per omnem quoque atatem  
devenerando,*

In debiti Honoris Gratitudinisque signum, atque ulterio-  
rem sui commendationem, cum omnigenæ  
Prosperitatis voto

**Disputationem hanc Inauguralem,**

*offert ac dedicat*

CAROLUS FRIDERICUS ZIMMERMANN.



## PRÆFATIO.

**V**i Scorbütum, his nostris in terris sic satis frequentem, Lernam innumerorum malorum dixerit, non aberare à vero videtur; siquidem Autores, quotquot hæc tenus de hoc affetu ex professo egerunt, uti *Severinus Eugalenus*, *Georgius Horstius*, *Jobannes Dravvitz*, *Balthasar Brunerus*, *Daniel Sennertus*, *Jobannes Echtius*, *Matthæus Martini*, *Henricus Botterus*, *Gualterus Charleton &c.* quanquam plurimas inde oriundas ægritudines longa serie recenseant, fateri tamen necessum habent, adhuc non pacicos supereesse affetus, maxime complicatos, qui vix ac ne vix quidem explicari aut enumerari queant. Quemadmodum autem dato uno absurdō sequuntur plura; ita non difficulter dato quodam humorum vitio & universum corpus & partes ejus variæ hinc inde male afficiuntur, atque sic ex una quasi radice morboſa, copiosissimi propullulant stolones vitiati simili-  
ter. Ex illis omnibus liceat mihi hac vice unicum

A 2

elige-

eligere Thēma, pro Inauguralis Disputationis ma-  
teria, PARALYSIN nempe natam ex SCOR-  
BUTO. In cuius Tractatione primū Naturam  
Scorbuti atque Paralyseos, dein Causas illorum at-  
que Signa, tandem etiam Curationem proponam,  
sed breviter. Etiam si verò dignitati hujus materiae  
satisfecisse omni ex parte Tibi L. B. non videbor, a-  
nimō tamen æquo huncce conatum meum feres,  
& quæ deslunt, ex ingenio facile supplebis Tuo. De-  
us verò T. O. M. cui me totum semper commen-  
do, hisce laboribus quoque meis ex alto benedicat,  
ut omnia feliciter eveniant.

§. I.

**Q**uo melius in Essentiam Paralyseos Scorbuticæ  
veniam, necesse est, ut confueta methodo, an-  
tequam ad realem tractationem progrediar,  
paucā quadam præliminariter moneam circa-  
nomen hujus morbi, ne ambiguitas vocum in-  
sequentibus impedimento sit.

§. 2.

Nimirum dicitur Græcis παρέλυσις à verbo περί-  
λυθεῖν, i. e. resolvi, germ. die Lähme / quoniam nervi vel  
potius musculi, quibus inferuntur, à debito suo tono ita-  
resolvuntur, sive relaxantur, ac enervantur, ut ad motum  
voluntarium exercendum fiant plane inepti. Est enim  
*Tess Galeno III. de loc. affect. cap. ult.* Paralysis maximè  
est πανίστερη δύστολεια, h. e. motus exitium.

§. 3.

Alio nomine audit Paresis & Paraplegia, ac parum  
abest,

abest, quin cum ipsa etiam Apoplexia confundatur, ita enim Aretaeus cap. 7. de morb. chronic. Apoplexia, Paraplegia, Paresis, Paralysis omnia genere eadem sunt. Aut enim motionis, aut tactus, aut utriusque defectio est, interdum etiam mentis, interdum quoque reliquorum sensuum.

§. 4.

Melioris tamen distinctionis ergo Apoplexiā appellabo totius, Paralyſin partis ejusdām, prāfertim cum Cornel. Celsus de Re Medic. Lib. III. cap. 27. testetur, veteres autores hoc sensu voces illas accepisse; quamvis non diffitear Hippocratem Galenūque vix satis distinctē iisdem usos fuisse.

§. 5.

Clarius: in Apoplexia cessant, prāter usum rationis, sensus omnes atque motus voluntarii: in Hemiplegia ut plurimum sensus omnes atque motus lateris vel dextri vel sinistri: in Paraplegia motus & sensus quidem totius, illās tamē capite: in Paralyſi motus atque sensus partis affectar. Itaque in manu ac pede saltim tactus motusque deficit, in Paralyſi oculi cessat visus, in Paralyſi lingvæ gustus &c.

§. 6.

Atque ita se res habet in Paralyſi perfecta sive exquisita: interdum tamē aliquis superest sensus, deficiente insimul omni motu libero, quod vocant Paralyſin imperfectam vel spuriam, vid. Gorrbæus Deſinit. Medic. pag. 359. Dantur enim revera gradus quasi Paralyſeos, siquidem nonnulli conqueruntur de Impotentia motus tantum: quidam de dolore in eādem parte satis acerbo simul: alii denique de sensu motuque prorsus abolito.

§. 7.

Hic loci admitto equidem jam recensitā tres Paraly-

seos species, ast ex rubrica Disputationis liquet, me non  
sollicitum esse circa varias hujus morbi causas, sed unicē  
de eā quam in Scorbuticis non infreuerter notamus.

§. 8.

In genere igitur definio Paralyisin Scorbuticam,  
quod sit impotentia quædam hujus vel illius partis in cor-  
pore humano, cum flacciditate conjuncta, propter quam  
moveri pro lubitu non possit, ab acrimonia sanguinis Scor-  
buticā proveniens.

§. 9.

Generis locum occupat impotentia, quæ opponitur  
potentia sive facultati motivæ; atque in hoc convenit Pa-  
ralysis cum coecitate, surditate, impotentia virili, simili-  
busque functionibus abolitis. Ubi tamen notandum est,  
sub nomine impotentia non tantum intelligi motum pe-  
nitus deficientem, sed & admodum impeditum sive insfir-  
mitatem. Quemadmodum enim plures alii morbi, an-  
tequam ad statum perveniant, minus atroces deprehen-  
duntur; ita & ab initio & in progressu Paralysis non æque  
gravis est, quam si ad ~~anulus~~ ascenderit; i. e. alia est Para-  
lysis inchoata, & alia consummata sive perfecta.

§. 10.

Dixi autem impotentiam in motu, quo ipso cum  
spasmo convenit, quoniam & in hoc pars immota manet,  
sed rigida, cum in Paralysi flaccida potius observatur. Id  
quod dubio procul Avicenna quondam ejusque interpre-  
tes adverterunt, quando eam per Mollificationem expo-  
suerunt, non quod revera mollior sit nervus, aut muscu-  
lus, sed quod talis appareat ob atoniam & relaxationem fi-  
brarum.

§. II.

Reliqua vero differentia desumpta est partim à Sub-  
jecto,

jecto, partim à Causa. Subiectum dicitur pars aliqua corporis humani, e. g. manus, pes, oculus, lingua &c. Si enī in totum corpū aut plures partes simul fuerint affectā, non amplius Paralysis, ut supra dictum, sed Apoplexia, vel Hemiplegia, vel Paraplegia rectius appellatur.

Quandoquidem verò in Definitione Causam allegati sub nomine acrimoniae scorbuticæ, iam sic explicō. Nimirum Scorbutus est nihil aliud, quam insignis acrimonia humorum in primis viis atque Massa sanguinea seroque, alias innominata. Imitantur enim Medici hoc ipso Jure-consultos, quibus sub titulo Stellionatus crimen alias innominatum venire solet. Ad hunc enim modum acrimonia, quæ ad Luem Venereum, Scabiem, Podagram, Gattarrhum similiaque mala referri non potest, Scorbutum, appellare non dubitarunt.

Nec enim facere possum in hac parte cum *Dan. Sennertus*, qui *Libr. III. Part. V. Sect. II. cap. 4.* Sangvinem ichorosum & vitiosum, vel naturaliter deorsum vergere ad crura, vel à natura ad extrema & ignobiles corporis partes amandari ac præterea ligamenta & tendines, ac ossa, naturali quadam inclinatione crassiorē sanguinem ad se trahere atque sic ad motum impotentia reddi arbitratur. Ut enim nihil dicam de inclinatione illa naturali, quam frustra fingit, saltem non video, quamobrem ligamenta muscularisque magis attentet, quam nervos.

*Willistum si consulamus, constat ex Pathol. Cerebr. Tract. II de Scorbut. cap. 4. pag. 165. §. 166.* tres ab eo recenti causas, quæ modo conjunctim, modo diuīsim hunc morbum producant, scilicet (1.) inopiam Spirituum ani-

mali-

malium ob succum nervosum depauperatum: (2.) Spirituum animalium impuritatem propter particulas heterogeneas & quasi narcotics succo nervoso admixtas: (3.) viarum obstructionem, quando particulae crassiores & terrestres nervorum corpora cum succo irriguo subeunt, quæ dein alicubi circa plexus nerveos aliosque anfractus coartervatae, ductus in tantum infarciunt, ut Spirituum in hoc aut illud membrum irradatio prorsus inhibeat.

§. 15.

Verum ut ad singula respondeam, concedo (α) à Spirituum defectu nasci Paralysin; succus autem nervorum nulla urgente necessitate allegatur, cum tamen de ejus Existentia non immerito dubitetur: (β) Spirituum natura non admittit ejusmodi inquinamenta sive commixtionem particularum heterogenearum, siquidem id, quod vitale non est, cum spiritu nostri corporis purissimo non confunditur, atque ideo nec (γ) metuendum, ne in poros nervorum, circulationi spirituum à natura destinatos, admittantur particulae crassiores atque terrestres.

§. 16.

Alios non adducam, sed exponam paucis quid verosimilius videatur. Praesuppono autem (1.) motum omnem tam voluntarium, quam involuntarium in nobis fieri principaliter à principio vitali sive spiritibus, tanquam causa efficienti unica: (2.) motum omnem fieri à fibris carneis vel in certos collectis fasciculos, quos musculos vocant, vel expansis in tunicam panniculumve carnosum, tanquam ab organo adæquato: (3.) Præter Spiritum institum, qui à nativitate cunctis inest partibus, alium adhuc influere per nervos in supplementum ejus, qui hinc inde absimitur.

§. 17.

§. 17.

Tripli modo lœdi potest motus, nemipe (a) Spirituum, (b) Musculorum, (c) Nervorum culpa. Hinc enim & motum depravatum vel involuntarium, ut sunt Tremor motusque convulsivi, ut & motum ex Spasmo deficiente, itemque Apoplexiā atque Paralyxiā non difficeret deducere licet. Verum hoc in loco videamus saltem quid ad Paralyxiā conferant.

§. 18.

Videlicet Spirituum animalium inopia evadunt Paralyticī Senes præ Junioribus; nam & secundum naturam tandem impotentia laborant, quæ genuina species est Paralyseos, nempe Genitalium. Eandem ob causam qui morbis chronicis diu detenti vires perdiderunt omnes, nec Urinam, nec alvi excrements continere possunt, id quod Paralyxiā Sphincteris Vesicæ atque Ani vulgo appellant.

§. 19.

Musculorum vitio accidit Paralysis, si scilicet non modo dissecantur, sed & ab affusis humoribus serosis viscidisque ad motum plane inepti reddantur. Quemadmodum id ipsum in vulneratis, hoc verò in hydropicis ac pedum tumore oedemato laborantibus manifestè apparet.

§. 20.

Nervorum denique culpa idem nascitur malum, quandounque vel obstruuntur circa ortum ē cerebro, cerebello & medulla oblongata, ut nihil exinde ad partes distribui queat; vel quando penitus lacerantur & dissecantur. Obstructio autem non tam ab humore viscido, uti jam dictum §. 15. fieri videtur materialiter, quam virtualiter, ab omnibus, quæ nervis infensa eosdem ad stricturam fortiorē, atque tubulorum clausuram omnimodam disponunt.

§. 21.

§. 21.

Qua ratione id fiat in Subjectis Scorbuticis porrò videndum, siquidem nec illa spirituum inopia, nec musculorum nervorumque læsio enormis hic facile metuenda; Superest igitur ut nervos examinemus & quamobrem Spiritus per canales hos non influant debito modo.

§. 22.

Sifictioni locus, dixerim Θia in hoc passū peccare, austero vel adstringenti sapore prædita, sive Vitriolica cum Quercetano Redivivo Tom. III. p. 184. Willis de Anim. Brutor. c. 9. & Theophil. Bonnet in Sepulchret. Lib. I. Sect. 15. p. 287.

§. 23.

Quamcunque verò statuamus acrimoniam in Scorbuto, sive acidam sive falsam, sive acido-falsam, sive vitriolicam, sive quamcunque aliam, satis erit, si modo concipiamus eam vellicare atque arrodere nervosum genus. Quemadmodum autem hoc ipsum præ aliis partibus magis exquisite sentit, ita se contrahit fortius, eoque ipso poros seu viam Spiritibus destinatam præcludit.

§. 24.

Arridet hac in parte non parum opinio Job. Baptif. van Helmont in Tract. de Lithias. c. 9. §. 62. & 82. qui Paralysin asserit partium sensitivarum contracturam; addit tamen illam à terrore solo produci. Quanquam verò à terrore quandoque natam esse Paralysin non negem, tanquam à causa occasionali & antecedente, si scilicet corpus prædispositum ad hoc malum inclinet; non possum tamen universaliter eam admittere tanquam solam & unicam, quoniam præter terrorem propriè dictum, plures aliae Paralyseos causæ allegari possunt.

§. 25.

Id enim solenne fibris est sensatis, ut si quid molestem accidat, se statim contrahant, prouthyberno tempore cunctem

tem crispari à frigore cernimus. Atque ita in Scelotyrbe plerumque dolor præcedit Ifchiadicus, quem sequitur stupor pedis ac tandem perfecta Paralysis.

§. 26.

Etenim si advertamus, Paralysin quandoque fieri subito & in momento quasi, interdum etiam evanescere sì militer aut per intervalla redire atque cessare vicissim; ne-  
mo est qui non facilius sibi concipere queat per spasmodum modo remittentem modo recurrentem intercipi viam, Spiritibus, quam si viscidum aliquod, ad motum fluxumque minus aptum, in nervis statuamus, quod nec per tubulos angustiores nervorum expelli, nec motu retrogrado versus originem eorum regurgitare potest.

§. 27.

Dicis: hac ratione citius Spasmodum quam Paralysin ex-  
citari; verum sciendum est, in Spasmo vellicari atque cor-  
rugari musculos ipsos, in Paralyse nervos potius. Nec e-  
nim rarum est in Subjectis Scorbuticis modo Spasmodum,  
modo Paralysin in iisdem aut diversis partibus notari. Imo  
& Paralysin quandoque cum Spasmodicis affectibus moti-  
busque convulsivis concurrere. Ita enim testantur Observa-  
tiones non paucæ, vid. Eugalenus multis in locis & Riverius  
Cent. I. Observ. 74. it. Cent. II. Observ. 98. Wolfgang. Ga-  
belchoverus Curat. Med. Cent. III. Cur. 16. & Cent. IV. Cur. 61.

§. 28.

Quid mirum? si ex Colica per metastasis humorum  
nascatur Paresis. Ubi enim humor acris, quamdiu in pri-  
mis viis hæret, cruciat graviores Spasmodumque intesti-  
norum excitans, ad Massam sanguineam defertur, sive id æ-  
grorum culpa sive Medicorum fiat, clarum est quomodo  
nervosum genus exinde affligatur vel arrodatur.

§. 29.

Hactenus de causis: nunc quoque Signa affectus hujus

B 2

con-

consideranda veniunt. Sunt autem illa vel mali ipsius, vel  
causæ ejus morbificæ. Affectus præsentis signa, Scorbuti e-  
niam tanquam nimis prolixa, omnibusque nota lubens hic  
supercedeo, desumuntur primariò à motu læso, deinde ve-  
rò & à sensu plus minus deficiente ac tandem ex frigore  
vel contabescientia partium. Nimirum Pathognomicum,  
quod unicè sufficit ad cognoscendam Paralyseos præsentia-  
m, est motus abolitus. Et quandoquidem impotentia  
hujus accessus non semper subitanea est, sed & aliquando  
successiva, idcirco expectare Medicus non debet statum,  
sed vel in principio morbi, ubi tantum pars aliqua robur  
suum naturale amittit, instare Paralysin judicabit.

§. 30.

Nec facile quisquam hoc malum cum reliquis vitiis  
motus confundet, si modo advertat, uti superius monitum,  
quæ pars affecta fuerit; si enim totum corpus aut latus alte-  
rutm sit resolutum, non amplius pro Paralysi stricto sen-  
su dicta est habendum.

§. 31.

Cœtera si concurrent signa, certiores nos reddere  
possunt de prognosi, majus certè periculum imminet, si u-  
nà cum motu cessen omnis in simul sensus; si membrū actu  
frigidum tabidumque notetur. E contrario si adhuc ali-  
qua motus vestigia supersint, si tactu non careat pars affec-  
ta & calore naturali: si neque colorem mutet, neque vel  
contabescat vel tumeat præter naturam. Ex his enim or-  
nibus tuto colligere possumus, morbum nec pertinacem  
adeò, neque difficultem curatu futurum.

§. 32.

Nam & in Juvenibus Virisque robustis felicior spe-  
randus est eventus, quam in Decrepitis & ex alio morbo in-  
firmis; atque ideo Paralysis superveniens febri, arthritidi,  
chronicisque aliis longe difficiliorem admittit curam.

§. 33.

§. 33.

Ut autem certi simus de causa Paralyeos, necessum est advertere ventriculi statum. Si enim appetitus ferè insatiabilis ægrum vexet, vel ructus acidi vomitusque similes notentur, dubium nullum est, quin humor acidus pccet. Accedit consueta vixtus ratio, si æger delectetur acidis dulcibusq;. Secus judicandum, si bilis acrior eructetur vel evomatur: si pingibus falsisque abutatur æger, atq; sic porro.

§. 34.

Explicatis hactenus Paralyeos Scorbuticæ Causis, Signis, & Symptomatibus, reliquum est, ut curam quoque annexam. Et quandoquidem duo sunt in hoc affectu notanda, nempe Malum ipsum atque Causa ejus morbifica, itaque & duplex hinc nascitur indicatio: prima est motum deficientem esse restituendum; secunda scorbuticam sanguinis acrimoniam esse corrigendam, ita enim symptomata, si quæ forte concurrunt, evanescunt sua sponte.

§. 35.

Motus partium vel debilitatus vel sublatus omnino, maximè postulare videtur roborantia nervina (non tamen neglectis illis externis, de quibus inferius,) eamque in gratiam Aquæ Spirituose antapoplectica & antepileptica  $\nabla$  Reg. Hungar.  $\nabla$  Carfunc. Anhaltin. Veltheimian. Magnanimitatis, Vitæ mulier. &c. vel etiam Hb. Lavend. Salv. Orian. Saturej. Serpill. Majoran. in Vino decocta pro fotu applicari solent. Nec inconvenienter olea ex his plantis aromatibusque aliis destillantur atque sub specie Balsami inunguntur nucha, temporibus, naribus, lingvæ, præcipue in Paralyse ejus.

§. 36.

Commititur autem non levis error in usu horum remediorum extenorū, prout id jam olim notavit Galenus

B 3

Lib.

*Lib. IV. cap. 5. de Loc. affect.* Solent enim plerique ipsi parti  
affectæ e. g. cruribus applicare modo laudata nervina, sub  
specie pediluvii similive pacto, sed frustra. Recte igitur sua-  
det in regione lumborum ea potius adhibenda esse, eoque  
in loco ubi nervi è medulla spinali ad crura excurrunt.

§. 37.

Nihilominus & hæc observatæ cautelæ pars quandoque  
immota manet, videlicet quod causa morbifica continens  
non fuerit prius sublata. Quapropter primus ubique la-  
bor erit eandem quantocyus removere, antequam parti læ-  
sæ robur conciliare velimus. Videamus ergo qua ratione  
id fiat.

§. 38.

Quodsi proinde certi fuerimus de causa hujus Paraly-  
seos & acrimonia sanguinis scorbutica, eò allaborandum  
est, ut acrimonia ista corrigatur, vel etiam educatur è cor-  
pore. Ante omnia igitur detur emeticum, nisi ægri con-  
stitutio illius usum impeditat. Quanquam enim primo in-  
tuitu vomitorium non videatur conveniens in affectu ad-  
eo à primis viis remoto; constat tamen per experientiam,  
in artuum doloribus aliisque morbis, nullum remedii ge-  
nus æque potenter operari ac eadem hæc evacuantia.

§. 39.

Cumque Purgantia reliqua in Subjectis Scorbuticis  
vires suas vix satis commode exerant, quia acidum com-  
muniter in iis peccans easdem non aliter destruit, ac si  
Rad. Hellebor. Esul. Asar. Rhabarb. &c. in aceto maceren-  
tur; magis ergo consultum est præscribere Vomitoria ~~gia-~~  
~~lia, imprimis~~ & vitæ, quippe qui de acido ipse participat.

§. 40.

Ubi verò talia exhibere non licet, in subsidium vo-  
canda sunt purgantia, præmissis tamen alterantibus. Ita-  
enim recte monet *Francisc. de le Boë Sylvius Prax. Lib. I. cap.*

7. §.

7. §. 53. à purgantibus cavendum antequam temperati fuerint humores acidi & ad seri naturam deducti, quos tunc demum redundantis per hydragoga educi nil obstat.

§. 41.

Sunt autem Alterantia in acrimoniam acidam convenientissima I. Ætalia, Hæmatit. Crocus Ætis, & maxime Limatura Chalybis, solvit enim non difficulter à quovis etiam acido mitissimo, atque tum convertitur in liquamen Vitriolicum, sed dulce, abstergendi & aperiendi virtute præditum. 2. Lapidosa, Crystall. montan. Alabast. Corall. rubra & alba, quæ acidum saturando in Salsum mutant diureticum. 3. Terrea, uti Bol. alb. & Armen. Marga, Terræ Sigillat. omnis generis; quæ magis adhuc acidum temperant, propter pinguedinem ipsis adjunctam. 4. Duriores animalium partes, uti Lap. 69. Mater perlar. Offa sep. Corn. Cerv. Alcis & Rhinocer. Ebur. Unicorn. Dens Hippopot. atque similia; quæ non modo particulis quasi arenolis, sed & gelatinosis & sale volatili quo gaudent adversantur acidis. 5. Salia volatilia ex his parata, Θ vol. CC. Ebur. Urin. Θ χ ci, nec non fuliginis, & quæ à curiosioribus è plantis educuntur. 6. Salia fixa, Absinth. Centaur. min. Cardb. Θ Φri &c. quæ θna præ cæteris id peculiare habent, quod si concurrunt cum acidis, sudorem non minus, quam urinam moveant.

§. 42.

Et quandoquidem, ut supra monitum, plerumque viscidum cum acido concurrit in hoc affectu; itaque acriora etiam antiscorbutica, ut Rad. Armorac. Hb. Cochlear. Nasturt. Beccabung. Trifol. fibrin. in usum quoque vocandas sunt. Quamvis enim cum iis facere non possum, qui eadem abundare Θ vol. ☐ so arbitrantur, siquidem vidi monstrante Excellentissimo Domino Doctore Rivino, Patrone, Praeceptore atq. Promotore meo ad aram usq; colendo, neq;

fuc-

succum eorum recentem, aut per aliquot dies asservatum, neque  $\nabla$ m destillatam aut  $\text{um}$  inde paratum colorem. Syrupi violarum mutasse ullo modo. Inest ergo  $\Theta$  quidem volatile, sed sui generis, quod neque ad acidum, neque ad urinosum referri potest, atque ideo mixtae potius naturæ videtur. Nihilominus & hic acris sapor non minus contra visciditatem sanguinis, quam adversus atoniam partium & Paralyсин unà cum reliquis nervinis exhibetur commode.

§. 43.

Habebunt autem utilitatem longe majorem, si pro scopo alterandi ac diluendi humorum acrimoniam & visciditatem aquæ insimul fuerint adhibita; Quo nomine Thermarum usus ac Thée potus, hoc tempore satis usitatus commendari solet. Si quid enim Thermæ valent, id externe fovendo calorem partium, interne attenuando viscida & temperando acria præstant; atque ideo Carolinae alii præferendæ sunt merito, quæ impune potari nequeunt. Doleendum saltim est nec ubivis terrarum similes haberi aquas medicatas, nec omni die iisdem licere uti. Confer *Quer. et cetera. Art. Med. Pract. Tom. III. de Paraly. p. 188.*

§. 44.

Præferendus idcirco Thée potus videtur, quem quisque omni hora sibi parare potest. Et quamvis nihil adeo peculiare in foliis Thée lateat, quod à plantis indigenis non æque sperandum; siquidem sapore leviter amaricante atque adstringente id saltim agit, ut majore in copia ventriculus aquæ haustum toleret; certum tamen est Salia Scorbutica hoc pacto felicissime cum lotio educi.

§. 45.

Solent alii pro eadem hac intentione diætam lactis commendare, aut serum lactis; quemadmodum autem si acidum peccet in corpore, plus damni quam emolumenti exin-

exinde resultet, ita post usum lapidosorum & cibialium similiusque præcipitantiis in acido in Sallum converso, aut diætae culpa prædominante falsedine egregiam merentur laudem, quoniam & serum humectat solvitque Salia, ac edicit per alvum viasque Urinæ secretioni dicatas, & portio pinguis dulcisque lactis demulcet acrimoniam præternaturaliter collectam.

§. 46.

Hæc dum fiunt, non negligenda sunt remedia externa, & quæ Chirurgia subministrat. Videlicet Venæ Sectio præmittenda est, si æger plethoricus fuerit aut proclivis ad hæmorrhoidum aliumve sanguinis fluxum, cuius rei insigne Testimonium præbet *Zacut. Lusitanus Libr. I. Prax. Medic. Adm. Obs. 39. & Francisc. Valleriol. Libr. IV. Obs. 4.* Notum enim est, alias non raro abundante sanguine artus obdormiscere atque stupore tentari; longe frequentius id accedit Scorbucitis propter Orgasimum & ebullitionem Sanguinis crebriorem; itaque nec parum levantur missione sanguinis.

§. 47.

Verum Venæ Sectioni hoc in casu nullatenus cedit Scarificatio & Ventosæ manibus pedibusque, affectis etiam, applicatae. Præterquam enim quod Sanguinem sufficienter evacuent, accedit quod dolorem, si multa cum flamma fuerint appositæ, satis notabilem excitant, quem tamen variis modis intendimus ob causas modo dicendas.

§. 48.

Aut enim pars insensata est, aut dolore vexata sic satis molesto: si prius accidat, sollicitamus naturam, ut quam deseruit partem, iterum tueatur: si posterius occurrat, supprimitur dolor prænaturalis ab eo quem ars producit de industria; ita enim *Hippocrat. Sect. II. Aphorism. 46.* recte notavit duobus doloribus simul instantibus à vehementiori obscurari alterum.

C

§. 49.

§. 49.

Nam & hanc ob causam Veteres quondam Ligaturas & Frictiones adhibuerunt, in Apoplexia, Paralyssi, Catarrho suffocativo, similibusque morbis repentinis gravibusque, scilicet ut excitat hac ratione doloris sensu motum Spirituum diverterent. Nec enim leves tantum sed fortiores etiam, si opus, fieri jubebant; vocatis non raro in auxilium Dropace sive Picatione, Sinapisino & Phœnigmo, donec partes aut rubefierent satis ac dolerent, aut vesicis excitatis serum profunderent acrius.

§. 50.

Similis virtus est Urticarum recentium, quibus cædere membrum torpens, summamque cutem exasperare jubet *Cornel. Cels. Libr. III. cap. 27.* Idem Experientia confirmatus docet *Epiphanius Ferdinandus Histor. 47.* adjecto tamen hoc monito non contemndo, ne id fiat prius quam corpus purgatum sit sufficienter à pravis humoribus.

§. 51.

Instar omnium sint Vesicatoria, quorum vires in Paralyssi Scorbutica crurum singulares notavi. Miles erat, cuius dextrum crus penitus immotum insensatumque ferè ad annum fuerat, sinistro ex malo Ilchiadico similiter dolente ac stupesciente, consilium implorat superius allegati *Excellentissimi Domini Doctoris Rivini.* Ille præmissis præmittendis præcipitabibus & evacuantibus Emplastrum Vesicatorium acrius ex cantharidibus apponere jubet femori, atque tum prima statim nocte sentit æger calorem, quasi per modum halitus inspirari, cum antehac pes frigidus, nec laterem calefactum nec quicquam sentiret aliud: sequenti mane redit sensus in ea parte motusque aliqualis unius atque alterius digiti; successu temporis, renovato Vesicatorio, continuatoque usu & tialium, nervinorum & anti-

antiscorbuticorum, non neglectis evacuantibus, favente  
divina gratia perfecte convaluit.

§. 52.

Hæc sunt ferè potiora remediorum genera, qualia vel  
Pharmacia suggerit, vel Chirurgia; reliquum est ut paucis  
quoque regulas adducam diæteticas; præfertim cum Scor-  
butus vel hoc nomine incurabilis videatur in non paucis,  
quod suo indulgentes genio consuetudinem, hactenus usū  
confirmatam, vix unquam deserant, etiam moniti.

§. 53.

Imprimis acida cane pejus & angue fugienda sunt o-  
mnibus, tanquam nervoso generi admodum inimica. Ab-  
sint ergo à mensa pròcul acetaria, & quicquid acetum, suc-  
cumque citri sapit, itemque dulcia, saccharo melleq; con-  
dita, quæ in ventriculo acidis referto facillime acescunt.

§. 54.

Speciatim Vini plus minus acidi potus admodum  
exitiosus Scorbucis in hoc passu. Testatur enim *Weppfe-  
rus Miscell. Nat. Cur. Ann. II. Obseru. 39.* Paresin post Coli-  
cam ex Vini ejusmodi potu frequentissimam in Alsacia, ad  
Lacum Acronium, in Ducatu Würtenbergico aliisque in  
locis, ubi quotidie vino utuntur pro potu ordinario.

§. 55.

Circa Cerevisiam itidem notandum, hordeaceam,  
amaram sive lupulatam, uti sunt Illeburgensis, Torgavien-  
sis, Wurzensis magis convenire scorbucis; sed dulcem.  
& facile acescentem, ex tritico vel avena quæ paratur, uti  
*Breyhahn/Weißbier/Reiterling/Duchstein* / vix sine  
manifesta lăsione à quoquam hauriri.

§. 56.

Aër quantum fieri potest temperatns eligatur. Quem-  
admodum enim frigus nervis admodum infensum, Scor-  
butica

butica subiecta maximè afflit, præsertim si quæ pars deficiente Spirituum influxu debito calore naturali careat, aut dolore vexetur continuo: ita è contrario æstus quoque intensior observatur iisdem nocivus, quoniam serum aucta transpiratione minuitur nimis, unde necessario & visciditas & acrimonia intenditur magis magisque.

S. 57.

Atque ideo motus etiam corporis non nisi moderatus est permittendus. Certum enim est si corpus hinc in cauerit modice, bene se habere iſiusmodi ægros & alacriores reddi; verum si ad sudorem usque commoveantur, lasitudinem exinde longe graviorem illos sentire, ac si forte inter sudandum evanuerit dolor, eum plerumque redire magis acerbum.

S. 58.

Cavendum autem iis est maximè ab animi pathematis, ira cum primis atque terrore. Quamvis enim aliqua legantur exempla eorum qui à Paralyſi fuerunt liberati per iram vel terrorem, qualia refert Francisc. Valleriol. Libr. II. Obſ. Med. 4. & Job. Nicol. Pechlinus Lib. III. Obſ. Med. 26. non videntur tamen temere imitanda, cum per Experientiam constet Apoplexiā etiam, similiqua graviora mala non aliunde magis, quam ab his affectibus provenire.

S. 59.

De cœtero haud opus est, ut pluribus exponam, quomodo se gerere debeat Paralyticus in ſomno & Vigilia, in Excretis & Retentis. Cum enim vires labefactatae jamjam existant, quivis intelligit abſtinendum eſſe à cunctis, quaे

Spiritus dissipant ac enervant corpus: ac potius robur vitale eſſe conservandum omnibus modis.

Atque hæc ſufficient.

S. D. G.









X2615888

KD77



B.I.G.

Farbkarte #13



1694/12  
59 42  
13  
ARCHIATRO SUMMO FAVENTE!  
ATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
**R A L Y S I**  
**D R B U T I C A ,**  
*Quam*  
Indulgu & Auctoritate  
ISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
*In*  
**M A P H I L Y R E A**  
SUB PRÆSIDIO  
biliſimi, Excellentissimi argj, Experientissimi  
DOMINI  
CHRISTIANI Schamberg/  
ed. Doctoris, Facultatis Med.  
Assessoris Gravissimi,  
atque Promotoris sui astutissimi,  
**O L I C E N T I A**  
edicâ Honores & Privilegia Doctoralia legitime  
consequendi,  
Publico Philiatrorum Examini  
ie XV. Junii, A. C. M DC XCIV.  
H. L. Q. C.  
submitit  
**F R I D E R I C U S Zimmermann**  
Dresdensis.  
Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI